



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XIX. De censibus, & usura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

ab hac obligatione sit, vel non sit liber, an scilicet sibi conscius sit, quòd præmonitus non solvisset de-

bitum, vel solvisset, ut ita damnnum illud impediretur?

CASUS XIX.

De censibus, & usura.

Martianus, ut sua pecunia, quam domi otiosam habet, lucretur, eam dat variis personis petentibus sub contractu retrovenditionis habito solum respectu ad quantitatem pecuniæ exigendo 5. pro centum, & non ad rei emptæ fructus, an verè ejusmodi fructus, eisdem, quibus dat pecuniam, nascantur, imò pro securitate fortis sæpè etiam pignus exigit, aut hypothecam, & fructus pignoris interim percipit, donec ipsi restitutum sit debitum. Non nunquam pecuniam dat cum pacto, ut redemptio fiat in eadem specie monetæ.

QUÆR. I. An speciem habeat usuræ contractus quo 5. annui pro centum st. petuntur, & accipiuntur?

QUÆR. II. An usurarius sit contractus, vi cuius Creditor tam in causa profana, quàm in causa pia rei oppignorata fructus lucratur, donec ipsi totum debitum solvatur?

QUÆR. III. An licitum sit emere censum cum pacto, ut venditor, cum redimere voluerit, redemptio fiat in eadem specie monetæ?

14 **C**laritatis causa Camplores nominabimus, qui dant pecuniam, Campsarios, qui accipiunt. Et quidem Camplores, qui pro aliqua pecunia interpellantur, priusquam eam

dent, conveniunt cum Compfariis de Capitali, suo tempore v. g. post unum annum, duos, tres &c. integrè restituendo, & simul ultra illud de certo aliquo lucro annuatim solvendo v. g. 5. pro centum,

recep-

recepta à Campfariis hypotheca, vel etiam simplici scheda obligatoria, qua Campfarii promittunt ad dictum tempus se soluturos sortem cum lucro convento.

Fit hic contractus in Germania, & Romano Imperio passim ab omnibus, quicumque aliquam pecuniam habent, sive Mercatores sint, sive propriè dicti Cambistæ, sive alii quicumque, etiam infimæ sortis homines, & quidem in quacunque pecuniarum portione, ut si vel solos 20. florenos dent, exigant pro lucro unum fl. non considerato Contractus aut Justitiæ titulo, sed sola bona fide & consuetudine vigente, quâ in Germania receptum est, ut 5. pro 100. petantur.

115 Jam autem duplex est DD. sententia, una asserit ejusmodi contractum esse injustum, usurarium, & prohibitum. Probant ex Bulla Pii V. in qua expressè damnat contractum, quo datur pecunia in uno loco, & in eodem loco repositur cum interesse. Et prob. ulterius; quia hic contractus videtur mutuum formale vestitum Cambii nomine, vel alio, in quo inter dantem & accipientem non est æqualitas, cum is, qui dat, plus recipiat, hoc ipso, quod pecunia ex se ad fructificandum sit sterilis.

Prob. 2. Quia hinc lucrum petitur ob meram dilationem temporis, cui reclamant omnes DD.

Neque prætendi potest lucrum cessans, aut damnum emergens, nam suppono dantem pecuniam cum pecunia sua non negotiari ullo modo. Sed neque prætendi potest titulus periculi, cum plerumque pro assecuratione petant pignus sibi dari: Accedit, quod damnum periculi prius prætendi non possit, quàm sit secutum: imò omni mutuo intrinsecum est periculum aliquod ex quocunque fortuito casu non percipiendi, quod mutuo datur.

Sed neque prætendi aliquid potest ob necessitatem, aut utilitatem accipientis, quia & hoc intrinsecum est mutuo.

Neque prætendi aliquid potest titulo emptionis & venditionis; quia Contractus emptionis & venditionis debet reduci ad æqualitatē, & Justitiam commutativam; inposito autem casu maxima est inæqualitas, ut in uno, eodemque loco dentur v. g. centum, & post annum recipiantur centum, & quinque, secluso omni damno Campfari eveniente, cum suâ pecuniâ ponatur non negotiari. Accedit, quod sæpe non appareat, quid à Campfario emat Campfor, cum ille sæpè nec fructus ullos habeat, quos vendat, nec ullam industriam, aut negotiationem, adeoque non appareat, quomodo hic contractus sit contractus emptionis.

Denique non excusat ab usura tolerantia Principum & Ordinariorum; quia hi subinde ob majora mala vitanda minora tolerant, non tamen propterea rei toleratæ injustitiam tollunt, ut patet multis exemplis &, ut ait S. Chrysof. quod permittimus, nolentes permittimus; quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.

116 Alia sententia ait ejusmodi contractum non esse injustum, quia non desunt tituli, quibus aliquid lucri inde accipere liceat,

Et quidem ratione solius carentiæ pecuniæ præcisè nihil potest supra sortem accipi; quia illa carentia pecuniæ ad tempus aliquod est intrinseca, & essentialis huic contractui, sicuti & mutuo. Nec valet dicere, quòd nemo sit, qui non faciat majoris præsentem pecuniam, quàm futuram, ex quo potest plus aliquid exigi; nam hoc est prohibitum, & damnatum à summo Pontifice Innoc. XI.

Sed neque ex sola obligatione non repetendi, v. g. ad annum, pecunias, aliquid supra sortem peti potest, uti patet ex propositione ab Alex. VII. proscrip̃ta. Et ratio est; quia obligatio non repetendi mutuum ad tempus est intrinseca & essentialis mutuo, & aliàs posset defendi omnis contractus usurarius.

Sed neque ex sola dilatione temporis præcisè potest aliquid supra sortem accipi, ut per se patet.

Sed neque ob solam commoditatem Campsarii, quia hæc commoditas est intrinseca rei, quæ datur.

Videndum itaque est, quo alio 117 titulo possit talis contractus justificari, qui passim in Germania celebratur à Viris doctis, & Deum timentibus non tantum à sæcularibus, sed etiam Ecclesiasticis, qui pro centum mutuo datis exigunt 5. annuos, ubi varii à variis tituli afferuntur; & quidem posse aliquid supra sortem accipi ratione lucri cessantis communiter docent A. A. quando videlicet Campsori, seu mutuatori propterea, quòd mutuo daturus sit, lucrum abcedet; quia spes lucri, quæ se privat mutuator in gratiam mutuatarii, pretio æstimabilis est, cujus proin compensatio in pactum deduci potest.

Item ratione damni emergentis, aut probabilis periculi, cui mutuator, vel campsor propterea se exponit.

Sed difficultas est in quærendo, & assignando titulo pro casu, & contractu passim in Germania celebrari solito, quo plurimi passim sine scrupulo exigunt, & accipiunt 5. annuos pro centum, etiam

amfi nec periculum fortis adfit, utpote per pignus, aut sivejussio- nem sufficienter assicurata; nec damnum emergens, aut lucrum cessans patiantur, cum dent pecuniam, aliàs apud ipsos non fructificaturam, sed otiosam futuram.

Ubi non nulli ad consuetudinem in Germania receptam recurrunt, cui supremi Principes non solum non reclamant, sed, implicite saltem approbant, qui cum sciant, hunc contractum praticari à quibuscunque personis videntur ex potestate Dominii alti, quod habent supra bona subditorum, posse de iis disponere, cum aliquid faciendum est in bonum Communitatis; jam autem bonum Communitatis videtur exigere, ut subditi possint in suis necessitatibus habere pecunias, quibus vel debita solvant magis gravantia, vel ut impediant, quò minus à Creditoribus molestis auferantur pignora, & subhastentur, majori damno, quàm interesse illud sit, quodolvere promittunt; vel denique ut data opportuna occasione merces ad victum necessarias tolerabili pretio emant, carius aliàs alio tempore empturi, propter quæ commoda, & Principes disponunt de facultatibus subditorum, & ipsi subditi non possunt esse inviti.

Unde pro foro externo non tantum licet pacisci, & exigere annuos 5. pro centum fl. sed datur etiam

actio contra debitorem, illos solum vere morantem, aut recusantem, etiamsi creditor nec lucrum cessans, nec damnum emergens, aut periculum fortis amittendæ patiatur, ut per Germaniam, teste Reinfsenstuel hîc n. 57. docet unanimis, & certa sententia, quotidianâ experientiâ stabilita.

Et quidem posse ex decreto rationabili legitimæ Superioris potestatis concedi, ut aliquid in mutuo (non tamen vi mutui præcisè) ultra sortem accipiatur, probat Tannerus *D. 4. q. 7. dub. 3.* cum aliis Germaniæ Authoribus; quia translatio dominiorum potestati superioris, ipsius etiam Reipublicæ ex justa causa subest; & Valentia *D. 5. q. 25.* cum Less. Laym, & aliis dicit, licet homines indocti, & rudes minus intelligant, cur ultra sortem suo arbitrio repetendam pensiones annuas recipere possint, eo ipso tamen ab usura, & iniquitate excusari, quòd aliorum proborum, & doctorum Virorum exempla secuti, nihil titulo injusto, & usurario, sed modo, quo fieri potest, justissimo accipere proponant, taciti enim, & expressi eadem virtus est. Accedit, quòd ut ait Scaccia consuetudo reddat contractum alienum ab omni suspicione illiciti, & quòd, ubi agitur, an aliquis contractus sit usurarius, inspicere debeat consuetudo Regionis, ut tradit Abbas *consult. 15.* & Saa *v. contractus.*

Et

Et licet tolerantia Principum, non possit facere, ut quæ sunt intrinsicè mala, per conniventiam non sint mala, cum hoc superet potestatem humanam, & sic non possint facere, ut ex mutuo accipiantur usura, quæ est intrinsicè mala, posse tamen ex potestate suprema, quam habent disponendi de bonis subditorum in bonum totius Communitatis velle, ut subditi non sint inviti, dare aliquod interesse pro capitali accepto, cujus usus est in commodum totius Communitatis, & etiam subditorum, qui accipiunt pecunias pro avertendis propriis necessitatibus, in quas alias prolaberentur, si promptas pecunias non haberent, ad censum Germanicum acceptas: atque adeò licet Principes non possint facere, ut usura non sit usura, posse tamen velle, ut subditi in bonum Communitatis, & proprium, titulo saltem donationis illud interesse solvant, quæ donatio ex imperio Principis à subditis facienda potest deduci in pactum, supposita voluntate Principis ita disponentis; sicut ergo donatio facta, & acceptata parit obligationem; ita potest etiam in pactum deduci, si conditio ponatur, sub qua est facta donatio: atqui ponitur conditio, dum mutuatur pecunia. Ergo.

¶ Conf. ex eo, quia duobus modis res legitimè possidetur, scilicet aut domini voluntate, aut Legis permissione: atqui in posito casu uterque modus reperitur, cum &

consuetudine & voluntate suprema Principis detur aliquod interesse supra sortem.

Hæc utcumque rationabiliter dicantur ad excusandum hunc contractum in Germania passim celebrari solitum.

Nihilominus cum ex una parte usuræ merè lucrative sint contra Jus Divinum, & Naturale, contra quod nulla consuetudo prævalere potest; ex altera parte in imperio pactum de reddendis 5. pro centum approbetur ex præsumptione justitiae. Hinc

Meliùs cum aliis ac rectius dicitur, quòd in tali casu non celebretur mutuum, sed vel Contractus societatis, quo unus dat pecuniam, & alter interponit operam suam cum pacto, ut pro rata lucrum inter ipsos dividatur; vel contractus assecurationis Capitalis, & assecurationis lucri certi minoris pro incerto majore, qui contractus dici solet contractus Trium, quem contractum, ut licitum admittunt Bonac. Less. Navar. Tolet, Molina, Valentia l. c. qui ait hunc contractum Trium Romæ se præsentem diligentissimè fuisse discussum, & à gravissimis Theologis fuisse approbatum; vel denique contractus emptionis, venditionis, quò emitur census annuus 5. pro centum, expositis tanquam pretio, additò contractui emptionis, Venditionis pacto de retrovendendo, ita ut Petrus
v.g.

v. g. dicat Paulo: Ego do tibi 100. & pro his emo à te jus percipiendi annuatim partem fructuum, aut realium, aut industrialium, quos singulis annis percipis ex fundis, vel industria tua, & hoc jus tamdiu mihi competet, quamdiu illud non redemeris à me reddito eodem pretio, quod ego tibi pro hoc dedi. Quod si fiat, Petrus primò accipit jus percipiendi 5. Tanquam mercem, & Paulus 100. tanquam pretium; soluto autem contractu Petrus reddit mercem & Paulus reddit pretium.

Sed difficultas hinc duntaxat est, cum datur à rudibus, & indoctis pecunia hominibus talibus, qui nec prædia habent ferentia fructus, nec negotiationem exercent, quo titulo tunc dantes pecuniam ejusmodi personis aliquid exigere, & accipere possint supra sortem? Non titulo venditionis; quia nihil potest vendere, qui nec prædia habet; nec negotiationem instituit, nec ad lucrandum idoneus est, nec ejusmodi homines rudes de aliquo contractu ineundo cogitant, sed de mutuo duntaxat accipiendo.

R. Ejusmodi homines, si aliorum doctorum, & proborum exempla, & consuetudinem secuti bona fide procedant credentes invincibiliter se licitè agere, aliquid ita exigendo, & accipiendo, excusari posse per hanc ip-

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

sam bonam fidem, & ignorantiam invincibilem. Dein cum rudes videant in Germania passim peti 5. pro centum, sciantque hanc acceptionem, & petitionem approbari ab Imperatoribus, nec improbari à Summis Pontificibus, præsumendi sunt habere intentionem generalem celebrandi contractum, quem licitè possunt, aut titulo & modo meliori, quo possunt, alium contractum licitum celebraturi, si scirent, hunc fore illicitum.

Cæterum pro casu, quo abest bona fides, & ignorantia invincibilis, si 5. annui pro 100. petantur præcisè vi mutui, excludendo omnem alium contractum licitum, aut titulum justum, aut petantur ratione solius dilationis temporis, vel commoditatis mutuatarii (utpote quæ est intrinseca mutuo) à labe usuræ talis contractus utique excusari non potest, ut patet.

Nec solus hic, sed alii quoque avaris suppetunt modi, quibus exercent usuram; Nonnulli enim aliter dare nolunt pecunias ad censum Germanicum, nisi v. g. simul emant duo, tria, vel quatuor plaustra vini, quæ est luculenta usura. Alii, si ab ipsis petantur v. g. 100. fl. ad censum, non aliter dant, nisi mediam partem accipiant in tot mercibus, quibus non indigent, & quas dein

R

ven-

vendere debeant viliori pretio, quæ iterum est manifesta usura; nam ultra obligationem solvendi interesse, quod ex contractu licito, aut justo titulo juxta superius dicta accipi potest, imponunt in super obligationem loco pecuniarum, quibus indigent, accipiendi merces, quibus non indigent, quasque viliori pretio distrahere debent. Alii gravant accipientes pecuniam ad censum Germanicum, ut ad ratam pecuniæ exigant à debitore creditum difficulter sæpe exigibile. Alii denique constituunt censum Germanicum cum obligatione, ac conditione, ut merces ab eis emant pretio justo, quo mutuarius ab aliis esset empturus, vel partim in pecunia, & partim in mercibus usui necessariis, & prior hic contractus ut licitus defenditur à Mendo *V. usura*, n. 30. ab Angel *V. usura* §. 5. Rosell. *V. eod.* n. 11. Gabr. *in 4. dist.* 15. q. 11. a. 3. Major. & aliis. Posterior verò à Tambur. Saltem in conscientia, *c. 5. de censibus*, imò etiam in foro externo, saltem ubi Bulla Pii V. non est recepta, prout recepta non est in Germania, teste Less. *l. 2. de Just. c. 22.* n. 99. Tann. *D. 4. q. 7. dub. 4. n. 131.* Haun. *tom. 4. de Just. J. & J. tr. 10. n. 316.* Reiffenstuel. n. 156. aliisque.

Ad Q. 2. An contractus, quò
 119 Creditor fructus ex pignore lucratur, donec ipsi debitum solva-

tur, sit usurarius, qui etiam contractus *Ansicreos* dici solet, responsio est affirmativa. Ita Abb. *in c. 1. n. 2. h. tit.* Covar. *l. 3. var. c. 1. n. 3.* Cajetan. *2. 2. q. 178. a. 2.* Tambur. *l. 9. de contract. tr. 1. c. 6. §. 1.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16.* Sotus *l. 6. q. 1. a. 2.* Begnudell. *V. usura. n. 13.* Canis. *de usura c. 5. n. 15.* Reiffenst. n. 109. Schmalzgr. hic n. 75. alii complures contra Alciatum *l. 2. c. 3.* & non nullos alios apud Mynsinger. *cent. 6. obsev. 71.*

Patet responsio ex *C. cum contra 6. de pignor.* & *C. 1. c. 2.* & *C. conquestus de usuris*; ubi dicitur, fructus rei oppignorata computandos esse in sortem, deductis expensis, & ratio ulterior est; quia aliàs Creditor ultra pecuniam, quam credidit, lucraretur aliquid causâ solius mutui, quod est usurarium; usura quippe non solum committitur, quando expressè aliquid vi mutui quot annis ultra sortem datur, sed etiam, quando sub pallio alterius Contractûs aliquid pretio æstimabile ob dilatam solutionem accedit sorti, quidquid demum illud sit, sive fructus, sive res alia pretio æstimabilis.

Sed dubium esse potest, an Creditor fructus pignoris percipere possit saltem in favorem causæ piæ, ratio dubitandi sumitur ex *C. insinuatione 1. de feud.* & ex *C. salubriter 16. h. tit.* Ubi in 1. statuitur,

tuitur, quòd Ecclesia lucretur fructus feudi, pro mutuo sibi oppignorati à Vasallo, in 2. verò dicitur, quòd maritus non teneatur computare in sortem fructus rerum sibi oppignoratarum pro dote nondum soluta; causa autem pia non minùs favorabilis est, quàm causa dotis: ergò.

120 Nihilominus tenenda est negativa cum citt. AA. Ratio colligitur ex C. *super eo, 4. h. tit.* cum enim usura repugnet & Juri naturali, & Divino, nequit fieri licita ratione causæ piæ; neque sunt facienda mala; ut eveniant bona; nec committenda usura, ut de scenore usurario largiaris Eleemosynam.

Nec prima ratio dubitandi urget; nam in feudo id speciale est, ut dominus feudi sibi à Vasallo oppignorati, fructus non teneatur computare in sortem, si interea non præstentur à Vasallo servitia ratione illius debita, ut habetur C. *insinuatione citt.* & C. *conquestus 8. de usur.*

Ad 2. Ex C. *salubriter citt.* id permittitur; quia quamdiu dos non solvitur Marito, jus habet exigendi aliquid æquivalens, ex cujus fructibus sustinere possit onera Matrimonii tamdiu, quamdiu dote caret; id autem æquivalens ex dispositione citt. C. *salubriter*, sunt fructus ex pignore provenientes, donec debita dos solvatur, cum

enim fructus, & commoditas dotis marito debeatur in compensationem onerum, quæ ipsi incumbunt alendi familiam, inquam foret, si uno vel pluribus annis, talem obligationem, & onus sustinere deberet, & nullum ex dote promissa fructum percipere posset, nisi aliquo alio modo ei fieret compensatio.

Ad 3. Q. An in censu redimibili apponi possit pactum, ut redemption fiat in eadem specie monetæ, v. g. aureorum, vel quanti tempore solutionis aurei valituri sunt, ut si 1000. florenis in auro emas 50. fl. annuos? 121

Respondet Less. l. 2. Cap. 22. dub. 8. id licitum esse in sequentibus casibus. 1. Si certum erat, æstimationem monetæ non esse mutandam. 2. Si utrinque par erat dubium, num esset augenda, an minuenda; 3. Si certum erat, æstimationem augendam, et emptor Statuerat pecuniam suam in illud tempus servare, posse tunc ratione damni, quod patitur, tale pactum apponere. Extra hos casus tale pactum non esse licitum; ut si census redimibilis ematur pretio ordinario, & addatur, ut venditor, quando redimere voluerit, eadem monetâ redimat. Quia, inquit, emptor non dat nisi pretium censûs absolutè considerati v. g. 1000. in 50. & præterea imponit venditori grave onus, pretio

pretio æstimabile, pro quo neque dat quidquam, nec ipse aliquod incommodum æquale in se suscipit. At, licet 1. Casus, & 2. difficultatem non habeat, quia in æquali dubio, uterque contractuentium æquali fortunæ, jacturæ, & lucri, se sponte subjicit: in 3. tamen casu, quando certum erat, æstimationem monetæ augendam, & emptor statuerat pecuniam suam servare, an tunc ratione damni, quod patitur pecuniam illam exponendo, possit tale pactum apponere, dubium est non carens difficultate, ut ait Laym. *tr. 4. cap. 16.* Ubi videtur dicendum cum citt. Laym. tale pactum fore illicitum; quia, ut arguit ipse Less. l. c. n. 50. iniquum est, si in censu emptitio venditori supra naturam contractûs, & loci consuetudinem novum aliquod onus pretio æstimabile imponatur, illudque ei non compensetur; in posito autem casu imponeretur tale onus; nam, cum in Germania justum pretium censeantur v. g. 20. fl. in unum, & 1000. in 50. secundum valorem, quem data pecunia habebat tempore contractûs, magnum, onus venditori imponitur, si tempore redemptionis reddere debeat pretium censûs non secundum valorem, quem habebat tempore contractûs, sed secundum eum valorem, quem certò postea habebit auctiorem, idque nullo modo venditori compensetur.

Neque prætendi potest lucrum cessans, quod lucrum pecuniam servando aliàs habuisset, ut notat citt. Laym. nam, cum emptor censûs ratione talis contractûs, ex 1000. florenis accipiat annuos 50. dicere nequit, tantum sibi lucri decedere ex eo, quod monetam auri in specie servaturus fuisset, donec ejus valor extrensecè cresceret; quia si ita servasset, non fuisset lucratus 50. annuos: Unde necesse erit, ut vel 50. annuos ex censû dimittat, vel ut valoris incrementum non exigat, nisi fortè secundum id, secundum quod, incrementum superaret 50. annuos.

Aliud est in mutuo, ubi licitè, & honestè institui potest contractus mutui cum pacto, ut pecunia in eadem monetæ specie restituatur, vel secundum eum valorem, quem tunc, vel alio designato tempore talis moneta habitura est, si mutuans usque ad illud tempus eam servare decreverat. Cæterum cum essentia pecuniæ plurimum pendeat ab extrinseca æstimatione, adeò ut alia quasi pecunia censeatur, si ejus valor extrinsecus crescat, vel decrescat; hinc si quis tibi mutua- ret v. g. 100. thaleros, & eorum valor merè extrinsecus secundum se augetur, non esses obligatus (præscindendo ab alio pacto) thaleros totidem, sed pauciores restituere, seu tot duntaxat, qui
adæ-

adæquent valorem centum, nisi mutuator propter lucrum cessans sibi caverat, ut notat Tolet. l. 5. 11. 34. cum Laym. & aliis; quia in pecunia pretium non distinguitur ab ipsa; sicut pretium distinguitur ab aliis rebus, & hinc aucto pretio mutatur pecunia, non autem res v. g. modius frumenti, & idcirco si modius non augeatur, seu mutetur, sed solùm ejus pretium, quod

à modio distinguitur, reddi debet idem modius, licet plus valeat, nisi aliter sit conventum, ut notat idem Tolet. l. c. Si verò augeatur ipse modius frumenti, qui accipit 4. modios mutuo, cum minor erat mensura, non tenetur reddere modios majores quatuor, sed quantum æquet minores, ut de pecunia dictum est.

C A S U S XX.

De emptione, & venditione rei à debitore ære alieno gravato alienate.

Cùm Crispus ære alieno ita gravetur, ut non sit par solvendo, domum, quam habet adhuc unicam, vendit Crispino affini suo, cujus pretii partem filia suæ nubili in dotem tradit, partem alteram ipse Crispus absumit.

QUÆR. I. An Crispinus inscius impotentia Crispi emptam domum tam in foro interno, quam externo retinere possit, sive eam titulo oneroso, sive lucrativo habeat?

QUÆR. II. An si Crispinus conscius impotentia Crispi eum non induxit ad alienandum, teneatur acceptum restituere in foro interno, sive à Creditoribus petatur, sive non petatur intra annum?

QUÆR. III. An Crispus ex pecuniis ex vendita domo acceptis filiam suam dotare & filia dotem acceptare, ac retinere potuerit?

122

ANte casus resolutionem, cum alienatio domus in fraudem Creditorum facta esse videatur, scire expedit, quid sit rei alienatio in fraudem Credito-

rum facta; in fraudem itaque Creditorum alienatum dicitur, quoties ex alienatione cognoscitur, vel cognosci debebat, alienantem impotentem reddi ad hoc, ut Credi-

R 3 tori-